

Google

6.—



5a

SOLUTIONES ALIQUOT

QUÆSTIONUM,


Quibus vera

PRIMÆ PHILOSOPHIÆ

Principia astruuntur.

OPUS METAPHYSICUM

FRANCISCI DULAURENS.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ,

ANNO CIↃ IↃ CLXIII.

Illuſtriſſimo Domino,

MOMMORIO,

Regi à Secretis, & libellorum ſupplicum Magiſtro; cæteriſque Academiæ MOMMORIANÆ præſtantiſſimis Viris, Dominis meis colendiſſimis.



Abores, & conatus, quos in verioris Philoſophiæ principiis rite ponendis adhibui, vobis liber iſte veſtro nomini dicatus exponet, Illuſtriſſimi quotquot eſtis viri, eximiique Philoſophi. Fruſtra me deſudaſſe non arbitrabor ſi veſtris ſublimibus ingeniis ſcripta mea placuerint; Nam vos in eruenda veritate, rimandisque naturæ arcanis ſolertiſſimos novi, quibus verba dare difficile eſt. Vos vulgari, ac infeliciter in ſcholis trita via relicta, directo tramite ad ſcientiarum culmen aſſurgitis, & ſolo lumine, quod in mentibus noſtris natura accendit, ut meliori duce utentes liberrimam ac tutiſſimam colitis philoſophandi rationem. Veſtro exemplo, nullis Philoſophorum placitis, ſed argumentis tantum è puro naturalis luminis fonte petitis inſtructus, ad hoc opus ſcribendum acceſſi; quid in eo præſtiterim veſtrum eſto judicium, mihi certe firmam de Dei exiſtentia demonſtrationem, rem & ad

bene Philoſophandum, & ad bene vivendum ſummopere, neceſſariam videor attuliſſe, hunc ſaltem ſcopum mihi propoſui, quem attigiſſe, & omnibus hac in parte ſatisfeciſſe ex animo optarem, ut mihi, & reliquis hominibus ſimul quod boni viri officium eſt, prodeſſe poſſem. Nihil enim in tota vita magis eſt neceſſarium quam ipſum vitæ Authorem probe agnoſcere, & non vacillantem de eo habere opinionem. Et quamvis Deum eſſe Sacri Codices nobis fidem habentibus perſuadeant, hæc tamen veritas in dubium revocatur ab iis, qui fidei lumine carentes ſacrarum ſcripturarum authoritatem rejiciunt, quorum mentes alia ratione quam exarati verbi teſtimonio ad Dei cognitionem adducere oportet. Id efficere in primis mihi curæ fuit, & omnibus pariter oſtendere ex rebus maxime obviis, quales ſunt motus & dubitatio, impreſſa eſſe ubique in mundo, & in nobis divinitatis veſtigia. Hæc eſt totius operis concluſio.

Ad id autem vobis offerendum duæ potiſſimum me impulerunt cauſæ: prima, ſingularis quidam erga Academiam veſtram cultus, & obſervantia, quam ut renatam Socratis, vel Platonis Scholam aſpicio, ubi diſertiſſimi placide Philoſophantium, & pulchra pro veritate decertantium ſermones, non vero inanes acerbe diſputantium, & nullius rei quam gloriæ, victoriæque cupidorum altercationes audiuntur:

tur : Secunda quod me in cœtum veſtrum recipere dignati eſtis, cui cum aliquoties in ædibus Illuſtriſſimi Domini Mommorii interfuerim, & à nonnullis audiverim id moris eſſe ut ſinguli Academiæ cultores aliquid meditati per ordinem afferant, quod congreſſus initio pronuncient, ut ſymbolum meum cum reliquis adeſſet vehementer optavi. Eſt ſane quod ætas noſtra miretur, nobiles Gallos in maximis Galliæ dignitatibus conſtitutos, dum à curis, negotiisque vacant, animum relaxare Philoſophiæ ſtudio. Vos poſt Platonem Philoſophorum nomine compellare audeo, qui beatam Rempublicam fore pronunciavit, cum Magnates in ea philoſopharentur. Beata ergo Gallia noſtra, quæ tot inſignes alit Philoſophos. Valete viri undiquaque ornatiſſimi, & ſolita benevolentia fovete

Vobis addictisſimum

FRANCISCUM DULAURENS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

A Salomone humanæ sapientiæ oraculo pronunciatum est sapientiam à Deo esse, & cum illo fuisse semper: quibus verbis significare nobis voluit illam extra Deum reperiri minime posse. Summus ille rerum opifex puteus est altissimus, in quo veritatem occultari dicebat Democritus, quam eruere hominibus nefas esset, cum in tanti numinis fulgore conderetur. Sapientiam tamen possidere se plerique credunt homines, quamvis illa soli Deo conveniat, amoremque sapientiæ miseris ab ipsomet sapientiæ rectore concessum, ut ejus numen agnoscerent, & in ejus contemplatione felices aliquando degerent, in suam plerumque pernitiem, summumque tormentum mali amatores convertunt. Et vero Dei contubernium ideo sapientiæ assignatum ausim dicere, ut in illo tanquam in abysso profundissimâ æternum delitesceret, & ut ab impuris hominum mentibus inviolatus custode Deo permaneret sanctissimæ rei thesaurus. Itaque recte divus Paulus nos tantum ex parte cognoscere affirmavit, tota enim certitudo nostra ex nobis est, quæ quantum imbecilla sit, fragilis naturæ nostræ conditio testatur. Hoc innuere volebat Protagoras cum hominem veritatis mensuram esse diceret, neque enim existimandum est, ut multi Philosophorum putant, illum de reali veritate loqui voluisse, quæ proprie loquendo nihil est aliud quam rerum essentia, cujus quidem homo mensura non est,

sed

ſed tantum de veritate objectiva eum intellexiſſe credibile eſt, hoc eſt de veritate in quantum illam comprehendimus, nam per ideas quas de rebus habemus, veritatem, aut falſitatem eis aſſignare ſolemus.

His ego imbutus præceptis humano more ſapere inſtitui, hoc eſt ingenii mei vires exercere in iis ſolum quæ captui meo accommodabuntur: Ideoque ſacram Theologiam, majeſtate ſua venerabilem, , ejuſque miſteria ultro ſine examine credenda mihi proponens, res cæteras examinare, earumque cauſas pro viribus anquirere conſilium inii. Ut autem omnes videant quantum in hoc ſtudio proficere poſſum, prima Philoſophiæ meæ fundamenta promulgare decrevi, mihi non inutile futurum arbitratus: ſi quis enim judicium meum ſubterfugerit error, corrigendi dabitur anſa; ſi vero ita ſtabilita ſunt fundamenta ut ad quoſvis objectionum impetus inconcuſſa permaneant, iis omnino confidere non dubitabo. Scias autem, erudite lector, valde Metaphyſicum eſſe hoc opus, ſi arriſerit, bonis ominibus proſequere utilitatis tuæ cauſa aliquid auſum (ea enim mihi mens in ſcribendo fuit ut meis tuiſque commodis ſimul inſervirem:) ſin aliquid in illo male concluſum, aut reprehenſione dignum invenias, quæſo ne me hoc celes, ſi enim ad ea quæ objicies reſpondere nequeam, ingenue fatebor errorem, meque hominem eſſe meminero, tibi pollicitus hanc me gratiam ſummi beneficii loco ſemper habiturum ſi plus mihi per tuam cenſuram ſapere liceat. Reſtaret de operis textura, & de ſcribendi modo aliquid diſſerendum, ſed opus exiguæ molis evolve, & hæc omnia tibi nota fient.

INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO I.

Utrum aliquid sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

QUÆSTIO II.

Quid primum in scientiis quærendum sit, & quis assequendæ veritatis modus habeatur.

QUÆSTIO III.

De rei simpliciter sumptæ proprietatibus.

QUÆSTIO IV.

Utrum necessario aliquid existat & utrum illud unicum sit.

In hac ultima concluditur Deum primo & maximè ab intellectu cognosci.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA, ejusque solutio.

Utrum aliquid sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

VEtus est opinio diuturni temporis authoritate potius, multorumque magis approbata consensu, quam ullo rationis judicio confirmata, quæ certitudinem & cognitionem nostram à sensibus ortum habere contendit. Hoc opinionis commento imbuti fere omnes veritatis testimonium in sensuum fide positum esse sibi persuadent, & pertinaciter affirmant nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu: sed quam leves ob causas id receptum, quamque simul parum verisimile sit jam ex parte demonstratum est à Cartesio, qui fidem non exiguam sensibus ademit annotatis eorum erroribus, tantumque sua probatione effecit, ut qui ad ejus scripta diligenter attenderint ob rationum evidentiam cogantur fateri, temerarium & incertum esse judicium omne, quod de rebus ex sola representatione à sensibus facta decernitur; sed quoniam nihil non allatum est ab ipso, quod ad hujus rei probationem attinet, nihil hic addendum superesset, nisi quod receptam ob sententiam inde sequatur, nullam igitur certitudinem dari, nec

ullam unquam cognitionem acquiri posse, de qua non liceat semper dubitare: nam si verum est ut supponitur, nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu, quandoquidem sensus est fallax, nulla erit notitia in nobis, in qua non sit timenda deceptio: quamobrem ut huic maximo malo per nos etiam succurratur, docendum nobis est quomodo multa ex se percipere possit intellectus nullis sensuum adjumentis, quamquam hoc etiam aliquatenus præstitum sit à Cartesio; verumtamen operæpretium facturum me arbitror, si novo rursus argumento rem eandem conficiam; fieri enim poterit ut ii qui rationibus ab ipso allatis nondum acquievere, nostris probationibus convincantur, & sic male stabilitum totius philosophandi rationis principium ab omnibus deinceps Philosophis tanquam pernitiosum repudietur.

Contemplemur itaque mentem nostram, num quid intelligendi, sive cognoscendi facultate à natura prædita est, quam eadem rerum parens sensibus denegavit, ita ut in hoc potissimum differre mentem à sensibus palam sit, quod hi res simpliciter apprehendant, illa autem res apprehensas intelligat, atque cognoscat. Jam vero intelligentia nostra sola veri comprehensione perficitur; intellectus enim in rebus præter veritatem inquirit nihil, hujus solius assequendæ studio naturam scrutatur, ad hanc solam operando respicit,

respicit, & in ejus assecutione, velut in optati finis fruitione tandem conquiescit. Hinc nulla res eatenus mentem afficit, quatenus est colorata, vel sonora, vel aliquo ejusmodi accidente vestita; quæ sensus nostros movere solent, sed eatenus tantum ipsius cognitioni subjicitur, quatenus est vera; quia igitur verum, & ens inter se convertuntur, manifestum est unamquamque rem per solam entitatis suæ notam ab intellectu comprehendi, unde nulla alia causa assignari poterit, cur mentis cognitioni res aliqua subjici queat, quam quia entis caractere signata est, sive quia est aliquid. Nunc supponamus mentem existere (hæc autem suppositio necessaria est cum menti actionem tribuamus, actio enim entis existentis actio est) ex præmissis haud dubie sequitur, ipsammet suæ cognitioni nullo alio mediante subjici, quia ipsius existentia cognoscibilitatis ut ita dicam causa est, & conjungitur agens cum patiente, quod sufficit ad producendum effectum; est enim ipsa mens agens, & patiens simul, vel potius agit in mentem patientem cognoscitiva facultas, quæ ipsi est insita, & quæ ab ipsa saltem ratione distinguitur.

Mirum autem videri non debet in hac mentis operatione, videlicet dum mens seipsam contemplatur, quod agens & patiens unum ac idem sint, hoc enim omnibus propemodum naturalibus, & immanentibus

 actio-

actionibus est proprium, in quibus termini pro vario solum respectu distinguntur. Omne enim ens inquantum ens agit pro facultatibus sibi à natura tributis, non quod ulla vi externa cogatur ad agendum, hoc enim modo violenta potius quam naturalis esset actio, nec etiam quod ullo patiente externo sit opus, in quo actio recipiatur, nam hac ratione non esset actio immanens, sed ideo tantum agit, quia propriæ virtutis impulsu, velut naturali quodam artificio ad agendum ducitur, vires suas in se potens exercere.

Agnosco quidem rectum superioris argumentationis processum, sed ejus materia parem ac ipsa forma concludendi vim obtinere minime posse videtur. Etenim pro certissimo fundamento supposuimus ad hoc ut res aliqua mentis nostræ cognitioni subjici queat, nihil à parte talis rei desiderari quam essentiã, sive quidditatẽ: fortassis autem non animadvertimus, probatione nostra nihil aliud evinci posse quam ut concedatur, res omnes, quæ in aliquo entium ordine sunt constitutæ, hac de causa rerum utcumque cognoscibilium numero ascribendas esse: quod autem postea res illæ per solam hanc cognoscibilitatis notam humanę mentis captui omnino accommodentur, numquid inconsequens absonumque videtur? Nam ut v. g. rei non sufficit esse corporeæ ut audibilis dicatur, quamquam sola corporeitatis suæ ratione

sub

ſub aliquem ſenſum utpote ſub tactum cadere poſſit, ſed adhuc requiritur ut ſit ſonora, niſi enim aliquem ſonum ederet, nec ab auditu ſentiretur. Pari etiam ratione quamvis res ob eſſentiam cognoſcibiles dicantur, poſſintque ſub hac ſimplici conſideratione à quodam intellectu divino puta vel angelico percipi, aliud tamen in ipſis ad noſtrum concipiendi modum entitate accommodatius requiri videtur, quod mancam, & debilem apprehenſionis noſtræ vim permoveat, quodque generalem hanc rei utcumque cognoſcibilis ſignificationem ad particularem humanæ mentis cognitionem determinet atque reſtringat: hoc autem fortaſſe eſt ut res aliqua talis ſit, quæ poſſit ſui ſpecie vel imagine mentem afficere, vel certe ſi rei natura id non patitur, ut ſaltem intellectus illam ſibi ſub aliqua figura repræſentet, ſicque ſemper affirmandum eſſet talis rei cognitionem dependenter à ſenſibus in mente noſtra fuiſſe generatam.

Ad hanc objectionem ſolvendam duo examinanda ſunt: inquirendum primo eſt utrum plures dentur intellectionum ſpecies ut ſenſationum; deinde utrum fieri ſemper debeat intellectio noſtra per expreſſas aliquas imaginum notas.

Ad primæ partis diſquiſitionem neceſſarium videtur, ut entia intellectualia certos in gradus pro ipſo-

rum differentia distinguam. Primo itaque se offert intellectus divinus, qui suæ amplitudinis immensitate cæteros omnes transcendit: sequitur angelicus, qui quamvis finitus sit nostro tamen amplior est: postremo humanus occurrit, qui est omnium limitatissimus. Jam si sumatur intellectus extensive, ut Philosophi loquuntur, hoc est quoad amplitudinem cognoscitivæ facultatis, & rerum intelligibilium multitudinem, dubium non est quin divinus ab angelico vel humano longe sit diversus, quoniam infinitæ est naturæ, & infinita comprehendit: angeli vero atque homines finitam habent intelligendi facultatem tum à parte intellectus, tum à parte rerum, ad quas eorum cognitio extenditur. Si vero accipatur intensive, hoc est habito ad operationis formam respectu, angelicas, atque humanas mentes unam eandemque cum intellectu divino naturam affinitate quadam sortiri comperietur, cuilibet enim intellectui rerum veritas pro objecto est. Et quamvis Deus dicatur alio modo res intelligere quam homines, ut quod ille unico mentis intuitu omnes comprehendat, quæ nobis hominibus non nisi exiguo in numero, longique sub ambage discursus innotescunt, illa tamen intellectio Dei formaliter à nostra non differt, quandoquidem ad unum & eundem finem acies mentis nostræ dirigitur, nos etiam ad veritatis contemplationem evehente ratione;

ne; Atque cum idem objectum per solam veritatis repræsentationem intellectibus omnibus offeratur, hæc objecti identitas, atque hæc eadem tendentiæ ratio conformes actus pronunciant, proindeq; manifestum est intellectum divinum à nostro vel angelico facultate non differre; hoc est unius esse naturæ: conformes namque actus ab eisdem facultatibus, easdemque facultates ab eisdem naturis ortum habere necesse est.

Quod certe absque temeritate vel divinæ Majestatis imminutione dictum volo; nam sicut de numeris non male pronuncio, cum cifram, quæ numerus non est, ajo pertinere ad numerorum naturam, quia cifræ nihilitas essentiæ numericæ opponitur; ita etiam de Majestate Dei nihil detraho, quando infinitam intelligendi vim, quæ in ipso reperitur, cum nostra vel angelica quæ finita est comparo, atque ad eandem naturam pertinere dico, quia divini intellectus essentiæ angelici nostrive nihilitas opponi videtur. Quod autem intellectus noster, vel angelicus respectu divini pro nihilo computetur, ex eo patet quod finiti ad infinitum nulla sit proportio, & quod multum vel paucum infiniti partes magis dici non possint quam nihilum, ut ad aggregandum numerum infinitum perinde est, sive millenarios, sive denarios, sive denique cifras accumules.

Quæ

Quæ cum ita ſint, patet ſolutio ſuperioris objectionis quoad primam partem, nempe quod plures non dantur intellectionum ſpecies ut ſenſationum, ſenſus enim diverſas in ſpecies abit eò quod in objecto ſibi propoſito diverſa conſideret: nam modo circa colores, modo circa ſonos verſatur, quæ duæ qualitates cum inter ſe valde diſcrepent, neceſſe eſt plures dari in ſenſitivo potentias, quæ huic corporearum affectionum diverſitati ex adverſo reſpondeant. Intellectus vero hac ratione dividi nequit, ſiquidem conformes eſſe omnes intelligendi actus monſtratum eſt, cum ad idem objectum eodem ſemper modo determinentur, & in unum verum tendant. Quod ſi tota intellectuum latitudo diſtinctionem aliquam patiatur, hanc tantum ſecundum amplitudinis, aut perfectionis gradus fieri probavimus, non ſecus ac qui multum videt diſtinguitur ab eo qui parum videt, vel ut denarius numerus à centenario, & centenarius ab infinito diſtat; plus autem vel minus diverſa genera, vel diverſas ſpecies non conſtituere lumine naturali notum eſt.

Supereſt Quæſtionis ultima pars, cujus difficultas in eo poſita eſt, ut ſciatur utrum res aliquas nuda perceptione, hoc eſt abſque ulla idolorum fictione comprehendere poſſit intellectus noſter, an vero quaſdam ſimulacrorum ſpecies efformare coactus ſit

ad

ad quarumcumque rerum notionem ſibi comparandam. Quamvis autem hoc quæſitum per antecedentis objectionis reſponſionem prima fronte tolli videatur, revera tamen non tollitur, neque enim profecto ex eo quod uniformes ſint entium intellectualium operationes, denturque intelligentiæ, quæ res abſque phantaſmatum ope percipiant, ulla ratione conſequitur nos etiam idem præſtare poſſe, quia rerum per phantaſmata perceptio diverſitatem in operatione non importat. Unde quemadmodum ſenes, quorum debilior eſt oculorum acies, nihil legere poſſunt niſi perſpicilia prius oculis admoveant, ita etiam poteſt contingere ut nos propter infirmam intellectionis noſtræ vim nil niſi per phantaſmata debilitati noſtræ ſe accommodantia percipere valeamus. Sed ne rem valde claram, ac per ſe manifeſtam inutili verborum expoſitione reddamus obſcuram, attendamus ſolummodo quanam ratione numeri, ſubſtantia, exiſtentia, & alia ejuſmodi multa à nobis percipiuntur, & comperiemus illa omnia nobis non repræſentari ſub ullis imaginum formis, ſed ſola intellectionis noſtræ vi, ac mente in ſe collecta comprehendi, unde quæ ex eo petebatur dubitatio plane tollitur.

Porro ſi mens ad ſeipſam cognoſcendam ſenſibus indigeret, ideo procul dubio foret, vel quod natu-

ram ſuam phantaſticæ cujuſdam figuræ umbra prius ementiri deberet, vel certe quod in cognitionem ſui minime devenire poſſet, niſi res alias ante perſpexiſſet ex quarum objectiva præſentia etiam ſe eſſe conſequenter inferret. Primum dici non poteſt, nam antea probavimus multas res à nobis percipi, quarum nulla phantaſmata menti noſtræ obverſantur, eam autem eſſe mentis noſtræ naturam, ut larvatam aliquam ſui ſpeciem à ſenſibus emendicare neceſſe non ſit, ex officio ſenſuum apparet, quorum munus eſt rerum extra mentem poſitarum ſpecies animo repræſentare, mens autem, quæ ſibi ſemper adeſt præſentiſſima quomodo tali ſui ſpecie à ſenſibus efficta indigeret?

Quod ad ſecundum attinet, verum quidem eſt rerum externarum notitiam quandoque poſſe menti noſtræ occaſionem de ſe ipſa cogitandi præbere, ſed non ideo quis inferet, illam rerum externarum notitiam menti ſemper eſſe neceſſariam ut ſeipſam contemplari valeat, ſive mentem noſtram alio ſe modo cognoſcere non poſſe. Ut neque verbi gratia problemate geometrico, à quopiam caſu reperto, rectè diceretur illud via Geometrica reperiri non potuiſſe, nam multoties accidit ut oblata fortuito problemata mechanice primum, deinde Mathematica quadam ratione oſtendantur. Cum autem probaverimus mentem noſtram res externas non ſolum, ſed etiam

ſe-

seipsam comprehendendi capacem esse, illaque omnia in se complecti, per quæ quotiescumque libuerit intueri se valeat, omnino manifestum est rerum externarum notitiam ad hanc mentis operationem non semper esse requisitam.

Præterea quando mens per rerum externarum notitiam in cognitionem sui deducitur, non ideo se cognoscit, quia tales res apprehendit, patet enim quod idem faceret, etiamsi alias apprehenderet, nec etiam quod ullas apprehendat, sed ideo tantum se cognoscit quia cogitat, sic enim ratiocinatur, cogito ergo sum: Unde bene quidem tunc dicetur rerum externarum notitiam de se cogitandi occasionem menti præbuisse, sed cum ad solam mentis operationem, sive ad cogitationem à re cogitata abstractam tantummodo respiciatur, non nisi valde improprie dici poterit, illam quam de se mens eo tempore acquirit cognitionem à rerum externarum notitia dependere. Tandem dico, quod si mens ad se conversa in seipsam figat obtutum, semet absque sensuum ope comprehendet ob jam allatas rationes: postquam autem seipsam sic comprehenderit, si naturam suam penitius inspiciat, generales entis, finiti, existentiæ & multarum rerum quæ Metaphysicæ dicuntur ideas acquiret, quod hæ ex illis sequantur.

Qua propter mentem nostram sensibus huc usque

mancipatam ab hoc indigno ſervitutis jugo liberemus; fateamur illam ad res percipiendas quandoque ſenſuum opera indigere, quandoque vero eorum auxilio non uti. Agnoſcamus fœcunditatem hujus mentis, quæ tot tamque varias rerum notiones ex ſeipſa producendi capax eſt, melioremque ineuntes philoſophandi rationem, hanc tanta virtute præditam facultatem certitudinis omnis matrem, originemque proclamemus.

QUÆSTIO SECUNDA,
ejuſque ſolutio

Quid primum in ſcientiis quærendum ſit, & quis aſſequendæ veritatis modus habeatur.

QUandoquidem antiquæ Philoſophiæ principium erroris falſitatiſque convicimus, aliud nunc moliri par eſt, cujus certitudo, atque conſtantia renovato Philoſophiæ noſtræ operi ſtabilitatem polliceatur. Sed quia maxima animi contentione opus eſt ad tale principium rite ponendum, meipſum deinceps quaſi meditando alloquar, nam mentis acies plus vigoris habet ad ſolam veri inveſtigationem intenta, quam ſi duplici veritatis inveniendæ, aliiſque explicandæ labore fatiſceret: ſic igitur incipio.

Jam

Jam satis adverto plerasque in mente mea generari posse notiones, quibus producendis inutilis omnino foret sensuum usus; non ignoro etiam quantum sit fallax horum sensuum fides, qui circa ea quæ quotidie explorant multa peccare, & vanis imaginibus mentem eludere consueverunt: Verum hæc nova speculatio in tam difficiles scopulos anxiam mentem primo in limine abripit, ut hinc evadere fere desperem. Nam si sensibus meis huc usque ita credidi ut quæcumque ab iis veniebant pro indubitatis acciperem; & si malo hoc principio semper usus sum, ut nihil verum admitterem nisi quod à sensibus hauriretur, suspecta mihi esse debent hactenus credita omnia, ita ut opinionum mearum nulla non debeat à me rejici; Deinde si quid ideo rejiciendum putarem, quod per dolosos sensuum transitus ad mentem commeasset, numquid hac ratione omni sensuum usu mentem meam destituerem, pulcherrimarumque rerum cognitione privarem? nihil enim earum, quæ corporeæ dicuntur ad ipsam dimanaret, & hæc tam vasta cognoscendi facultas, cujus vis pene infinita videtur, arctissimos haberet exercendæ potentiæ limites, si sola sui contemplatione mens contenta illam intra se cohiberet, nec latius evagari sineret: Dum ad hæc attendo nullum aliud scopulis hisce me eripiendi patet iter, quam ut rationes examinem,

propter quas ſenſibus meis antehac confidebam; id autem cauſæ erat quod firmiſſime perſuaſum habebã, ſenſibus accepta eſſe referenda quæcumque mens cognitione ſua complecti poteſt; unde illud omne quod ſenſuum vehiculo ad mentem perveniebat, ex eo ſolo quod per ſenſus, tanquam per fidiſſimos rerum exploratores immiſſum erat, certiſſimum judicabam, neque poſtea diligenti mentis inquiſitione perveſtigabam, utrum tale foret, quale per ſenſus repræſentabatur, ſed ex ipſa repræſentatione revera ſe ſic habere arbitrabar; atque hinc pravum naſcebatur judicium, quod non ab accurata rei cognitione, ſed à perverſa mentis diſpoſitione proficiſcebatur; erat vero perverſa mentis diſpoſitio, ſiquidem intellectus in ejuſmodi judiciis de rebus ſibi non bene perſpectis judicium ferebat, cum contra rectus rationis uſus exigat ut de iis tantum quæ menti diligenter attendenti perſpicua ſunt, judicetur. Nunc mihi facile eſt in altum tranquillumque emergere, nam quia res per ſenſus immiſſas ad rationis examen non bene revocavi, conſequitur opiniones omnes, quas de eis ſic concepi, dubias eſſe, ideoque à me rejiciendas, ſed quia ſolum idcirco dubiæ ſunt, quod imprævio rationis lumine conceptæ fuerint, non vero quod per ſenſus tranſierint, haud propterea menti meæ ſenſuum removetur uſus, cautela tantum adhibe-

hibetur ne ſenſibus deinceps ullum aſſenſum præbeat antequam quid rei ſit ex ſeipſa cognoverit.

Verum in id incumbenti mihi, & veteres opiniones omnes ex animo meo rejicienti difficultas inde ſuboritur, nempe ſi rejectis iis omnibus, quæ me recte ſcire ſemper putavi, omnium reſtem ignarus, neceſſe erit ſciendi principium à ſumma rerum omnium ignoratione petere, quod fieri non poſſe videtur; omnis enim ſcientia quibuſdam præcognitionibus nititur: ſatius igitur eſſet illas omnes percurrere, & diligenter examinare ſingulas, ut deprehenſa falſitate veritatem in ipſas inducerem. In hac ancipiti cura defixus agnoſco talem eſſe mentis meæ naturam dum ad res ſe convertit, ut ex una cognita facile in alicujus alterius cognitionem deveniat, quæ ultima ſemper à prima dependet; ideoque me unam rem perfecte cognoſcere debere, quæ prima ſit, aut ex primis, ſi modo multæ primo rerum in ordine dari poſſunt, & vera, & à qua cæteræ vel pleræque fidem accipiant, ut de illarum veritate certus eſſe poſſim. Jam vero cum dubia ſint ea omnia, quæ olim vera eſſe exiſtimavi, ſatis video in eis rem illam non contineri, quæ prima requiritur ut ſit aliarum firmamentum, cum ratio perſuadeat, certum non eſſe id, quod minimum dubitationis admittit: neque veteres opiniones mihi erunt reſumendæ ut

earum

earum defectum corrigam postquam primam illam perspectam habuero, cum ex hujus cognita veritate sequentium aliarum longa series per complexionem trahatur, quarum omnium certitudo primæ illius robore constantiaque firmabitur; neque etiam ab ignorantia initium faciam, quin imo ab evidentissima ratione, si pro fundamento supponam aliquid, quod perfecte cognoscam verum esse, & à quo reliqua inde pendentia demonstrationis vim accipiant. Principiorum enim diligens observatio viam præbet ad reliquorum omnium inventionem paratissimam. Quin imo qui plenam habuerit principiorum cognitionem, is jam perfectam, licet nondum explicatam, omnium quæ ab eis deduci possunt scientiam adeptus est, cum longæ illæ consequutionum series, quas scientias vel disciplinas nominamus, in fœcunditate principiorum totæ condantur, & à sola eorum efficacitate profluant.

In primis igitur allaborandum est ut rectum & quam maximè clarum de principiis conceptum efformemus; eorum deinde naturas, & his naturis debitas proprietates accurate examinando, quas ipsa vires, quamque potentiam ad operandum habeant, parvo labore deprehendemus, unde postea difficile non erit varios modos excogitare, & ex iis simplicissimos eligere, quibus singula quæque ab his principiis

cipiis orta gignantur: Atque his duabus rebus, nimirum exacta principiorum definitione, & simplicium modorum, per quos quodcumque ab eis pendet effici & fœliciter explicari queat, inventione, plena perfectaque eorum cognitio comparatur, qua semel imbutus, atque fœcundatus intellectus, tanta postea rerum copia ditescit, tantaque luce collustratur, ut connexarum invicem effectionum numerosissimam multitudinem, adhibita præsertim in eis ordine deducendis solerti industria, tanquam uberrimos parturientis cognitionis fructus effundere, & ex multo sinu proferre valeat. Sed antequam hoc opus aggrediar, cogor dubitare de omnibus, ut pravis opinionibus mens exuta tutam, & ab omni erroris contactu liberam judicandi facultatem exerceat.

Sane hæc argumentatio clara est, sed parum firmitatis habere, & tota ex falsi principii petitione exsurgere, atque confici videtur, quo collapso ruere integram & destrui necesse est. Etenim ex eo quod de omnibus dubitandum esse duxerim, nonne consequitur mentis meæ naturam à me nondum agnosci posse? quod si hoc confiteri oportet, næ ego incautus si hoc falso principio abutar ad alia concludenda. Maximis profecto versor in difficultatibus, & magis operosum negotium suscepi, quam unquam fuissem arbitratus; quocirca parumper sistendum est hoc in

 loco

loco usque dum ex his laqueis me expedivero, & iter aliquod explanavero, per quod postea remotis omnibus insidiis cursum meum tuto dirigere valeam.

In primis notandum occurrit, quando dico mentis meæ naturam à me agnosci, nihil aliud hic intelligi debere quam me ratiocinari, vel rationem quocumque modo percipere. Licet igitur ex eo quod dubitem nihil adhuc certi noverim, indeque sequatur ignotam esse mihi mentis meæ naturam, atque etiam me esse, si hoc (videlicet me ratiocinari) supponam, nonne hac suppositione facta modis ad ratiocinandum necessariis uti, hoc est rationem consulere debeo? Et cum ipsa me primo admoneat naturam hominis ita esse comparatam, vel si falsum sit esse hominem, ejus naturam ita fore comparatam si esset, ut una res ipsi cognita alterius afferat cognitionem, profecto rationis necessitate adigor ad id credendum verum esse, atque etiam ad omnia quæ inde recte colligi possunt, pro veris habenda: Et quamvis fingi posset nullum esse hominem, nihilominus tamen inde non sequeretur illum non fore talis naturæ si esset, sed tantum illum nec esse, nec ullam habere naturam; pari etiam ratione quamvis res omnes dubias esse supponam, si quid tamen in eis adverterim, quod sit rationi consentaneum, concludi

cludi non poterit ex eo quod dubias illas esse suppo-ſui, tales non fore si essent, quales fore judicavero, sed tantum illas nec esse, nec ullam habere naturam. Verum hoc difficultatem non tollit, semperque restat probandum quomodo supponam me ratiocinari, cum adhuc de mei existentia incertus sim, nam si falsum sit me esse, etiam falsum erit me ratiocinari, & consequenter falsa omnia quæ ratiocinatione concludam. Insuper hoc concesso videndum est quî sciam à ratione me admoneri.

Quantum ad primum attinet, si recte attendatur nullus erit dubitandi locus, & manifeste apparebit talem suppositionem ob aliam omnino causam fieri quam ob quæstionem, ideoque necessarium non esse ut verum sit suppositum, quoniam quæsitum quod ab illo non pendet, ab illo etiam determinari non potest ad veritatem, aut falsitatem; primo enim quamvis falsum esset me ratiocinari, non ideo sequeretur falsa esse omnia quæ cum ratione concluderem, quale est illud quod de hominis natura paulo ante concludebam, sed tantum me nihil concludere posse. Deinde cum ratiocinari nihil aliud sit quam ratione uti, quis non videt rationem priorem esse ratiocinatione? quapropter sublato omni ratiocinante remanebit tamen integra ratio, sive veritas in rebus. Duplicem enim statuo rationem, unam in rebus pono,

cui proprie veritatis nomen debetur, alteram in mente considero, per quam primæ cognitio acquiritur, & velut aliqua veritatis figura in mente adumbratur, atque hæc alio nomine ratiocinatio dicitur. Cum igitur primaria illa ratio, sive veritas, quam in rebus locum, & sedem habere monui, nostrâ sit antiquior, ut ostensum est, & sine illa perseverare valeat, clarum est ipsam à mente mea nullo pacto dependere: Etsi enim ea sit ipsius natura ut percipi possit, nemine tamen percipiente revera existit, quoniam posse percipi extraneum est à veritatis essentia. Jam facile intelligo etiamsi non existerem, neque ratiocinarer, indubitata tamen omnia esse debere, quæ rationis vi confirmarentur. Sed quænam igitur causa me movet ad faciendam aliquam suppositionem, cum nulla necessitas adesse videatur aliquid supponendi? Nimirum cum attenta mentis consideratione investigandis rerum naturis, earumque causis noscendis incumbo, si quod verum in eis est demonstrante ratione mihi manifestum appareat, illud statim à mente mea apprehenditur, quæ ut sibi, aliisque id quod ita apprehendit, exhibeat, ratiocinationis ope indiget, per quam tantummodo facultatem rerum veritas exhiberi potest. Atque cum nulla res ideo vera sit, quod ipsam mente complectar, vel quod cognitionem meam alteri notam faciam (docuimus enim omni

cogni-

cognitione priorem esse virtutem) profecto nequit ab ea suppositione, quæ propter id solum facta est, assertionis meæ veritas ulla ex parte labefactari; & quamvis omnino necesse sit ut supponam me ratiocinari, omnis tamen ista necessitas à parte mei, sine quo suppositio nulla fieret, existit, quæ necessitatis causa aliena est, & à veritatis anquisitione disjunctissima. Sed hoc adhuc evidentius erit si hic meus sermo veritati tribuatur; nunc placet audire loquentem. Neminem fore confido, qui hæc cogitans non malit rationum momenta expendere, quam ea quæ nihil ad rem pertinent curiosius exquirere. Fieri enim potest ut mentem non habeam, nec omnino existam, at numquam continget ut verum non sit, quod firmis rationibus demonstratum erit.

Itaque suppositio nostra valeat. Sed jam quibus signis agnoscam à ratione me admoneri, sive aliquid esse verum? veluti quod superius dicebam, sic à natura comparatum esse hominem, ut per unius rei cognitionem, alterius notitiam adipiscatur, quæ ultima semper à prima dependet: quid me de hujus rei veritate certum facit? profecto id omnino manifestum fit ex ipsa ratiocinationis, sive argumentationis perceptione, quæ oratio est in qua quibusdam positis aliud quid necessario sequitur eò quod hæc ita posita sunt: quare cum duo hic reperiantur, quo-

rum voces, sive termini signa sunt, tanquam præsentes acie mentis intueamur.

II.

Quæstio distinguenda est, id est videndum quot in quæstione quærantur, ut distribuatur quæstio in tot partes, quot erunt in ea difficultates: hac enim ratione difficultates omnes melius perspicientur, & examinationi melius quæstio præparabitur.

III.

Unaquæque difficultas separatim, & ordinatim examinanda est, hoc est exactissima quæsiti de quo est difficultas divisio secundum quæstionem facienda est, removendo scilicet ab eo illud omne, quod ad propositam quæstionem non faciet, ut solum appareat id quod in quæstione erit, illa enim hoc modo veritati præparabitur melius.

IV.

Sic intellecta, distincta, & examinata quæstio judicii arbitrio committenda est, & inventæ regulæ beneficio per demonstrationem solvenda, aut solutionis impossibilitas per eandem ostendenda.

Atque his de quæstionum examine traditis præceptis cum adjuncto canone, certissima continetur veritatis assequendæ methodus.

Sed quoniam de rerum omnium essentia & existentia incertus sum, irritus labor videtur ulterius progredi velle: quid enim de non existentibus demonstrari

ſtrari poteſt; nam ſi exiſtere illa credam quæ exiſtentia carent, procul dubio aberrabo: quod ſi illa non exiſtere judicans, ipſis tanquam exiſtentibus eſſentias, & quæ eſſentiam comitantur proprietates tribuam, nonne etiam fallar? Equidem ſi temere, & inconſulta ratione id faciam, in hoc rurſus peccabo. Verum ſi in nihili ut ita dicam penetralibus veritatis lumine patefactis res poſſibiles, ſive quæ inde emergere poſſunt, eodem lumine mihi oſtendantur, numquid illis proprias naturas aſſignans, adhuc in errore verſabor? Certe ne id quidem ſuſpicari poſſum modo fidiſſima veritatis tutela fretus ſim, quæ mentem meam ab omni errore cuſtodiet. Nam eſto falſum ſit, ullam rem exiſtere ex iis, quibus eſſentias accommodare cupio, quid inde abſurdi ſequetur? An non ipſæ ſi quando exiſterent veris eſſentiis atque naturis induerentur? ita ſane: poſito enim quod res exiſtat vera, & peculiaris ipſi natura debeatur; igitur ſine ullo errandi periculo rebus non exiſtentibus eſſentias & proprietates affingere poſſum, quas habere deberent ſi quando exiſterent.

Quoniam ergo nunc de omnibus dubito, hoc eſt in ſumma rerum omnium ignoratione verſor, placet cum liceat Geometras aliquo modo imitari, qui quæſitum aliquod tanquam conceſſum aſſumentes, continuatis eo uſque conſequentiis progrediuntur, do-

nec in verum aliquod conceſſum incidant, parum abſimili ratione res non ſecus ac ſi exiſterent tantiſper conſiderabo, earum eſſentias, & proprietates inveſtigando donec aliquam invenero, cujus eſſentiæ, & exiſtentiæ neceſſitatem mihi confirmet ipſa rationis neceſſitas. Quod ſi illa rerum omnium poſſibilium cauſa ſit à principio illo cognito, reliquarum notitia per ſyntheſim acquiri poterit; ſin minus, toties repetenda erunt analyſeos noſtræ veſtigia, quot erunt inveniendæ primæ rerum cauſæ. Nunc igitur in id ſedulo incumbentes pergamus ad reliqua.

QUÆSTIO TERTIA,
ejuſque ſolutio.
De rei ſimpliciter ſumptæ proprietatibus.

QUamquam propoſitum mihi ſit rerum proprietates hoc in loco inveſtigare, quia tamen illæ in poſſibilitate ſubjectorum, quo modo hic conſiderandæ veniunt, innumeræ deliteſcunt, neque ſingulis vel inveniendis, vel recenſendis unquam ſufficerem, delectum maximum adhibere debeo, eaſque ſolum ex innumerabili multitudine ſeligere, quæ ad inſtitutum meum facere videbuntur. Hoc ut rite exſequi poſſim revocabo primùm in mentem, quidnam

nam per hanc investigationem potissimum intendam, fine enim ob oculos posito, quæ ad eum conducent media facilius apparebunt. Nempe consilium erat rem aliquam primam quærere reliquarum omnium vel multarum causam, de cujus essentia, & existentia certus esse possim: quia igitur res illa sic descripta universalis esse debet ut manifestum est, generalibus solum rei affectionibus indagandis allaborandum est; sed cum nondum sciam utrum res aliqua detur, quæ rerum omnium possibilium causa sit, ratio persuadet ut in hac anquisitione à generalissimis rei proprietatibus incipiam, ad minus generales postea si ita sit opus descensurus: nam si tale ens cæterorum principium existat, ejus essentiam nullis nisi primis, & præcipuis rei attributis decoratum esse oportet; illa igitur attributa quæramus. Ante omnia vero mihi maxime tenendum est, me ad nihilum delapsum esse, quod duplex animadverto; unum in quo rerum omnium repugnantia, atque contradictio reperitur, quod nihilum purum, sive impossibile dici potest; alterum in quo nullum tale dissidium invenitur, sed ex quo res ipso non contradicente emergere possunt, hocque nihilum possibile nuncupabo. Primum tenebrarum latibulum est, in quo subjecta nulla unquam luce illustrari, nullisve proprietatibus affici possunt, ideoque nulla alia consideratione di-

gnum eſt, in ſecundo ſolo immorabor, rerum ibi abditarum proprietates ſcrutando. Quod autem nihilum ita diſtingui debeat, patet ex ipſo poſſibilis atque impoſſibilis conceptu; poſſibile enim ſumitur pro eo quod non eſt, ſed eſſe poteſt; impoſſibile vero pro eo quod nec eſt, nec eſſe poteſt: itaque nihil in poſſibile, atque impoſſibile recte dividitur. Jam cum res ſubjectum purum dicatur entis aut nihili caractere nondum ſignatum, capax tamen utrumque, atque ideo proprietates eorum recipiendi; cumque nulla vera rei proprietas detur, quæ in ente fundamentum non habeat, clarum eſt primam rerum affectionem eſſe entitatem, cujus oppoſita & negata affectio nihilitas erit. Ens porro, ſive res entitate affecta vel unica erit, vel multæ dabuntur; rurſus ſi unica, vel erit ſimplex vel compoſita: ſi multæ ſint, in illa multitudine numerus conſiderabitur, in numero vero ordo ſervatur. Hæc omnia ita ſe habere rationis evincit neceſſitas: quare cum dictæ affectiones ens ſolum quatenus eſt ens reſpiciant, & ex ſe invicem à prima neceſſariis & continuatis conſequentiis deducantur, erunt primæ illæ & præcipuæ rei affectiones, quas inveſtigabam. Atque ut illarum meminiſſe, earumque naturas facilius poſſim examinare, ſic illas deſcribo.

GENERA METAPHYSICA.

Res.	*Compositio.*
Entitas.	*Numerus.*
Unitas.	*Ordo.*
Multitudo.	*Nihil.*
Simplicitas.	

Nunc illa seorsim consideranda sunt. Per rem ut sæpius dixi intelligo subjectum quodvis entis aut nihili caractere nondum signatum, capax tamen utrumq; recipiendi: Verbi gratia, quando dico res est, vel non est, res est subjectum cui entitatem nihilitatem que attribuo. Ejusmodi subjecto hic opus habemus, quod ab ente, & nihilo abstrahat, quandoquidem de ente & nihilo sic sumptis agimus: ens enim & nihil de aliquo subjecto prædicari debent, unde oportet aliquid ab ipsis diversum excogitare, & supponere, cui entitas nihilitasque tribui possint, neque enim ens erit subjectum nihili, aut nihil subjectum entis, & multo minus ens sui ipsius subjectum erit, ne subjectum cum prædicato confundatur. Quod dico in ordine ad cognitionem meam, qui solus hic observandus relinquitur, non in ordine ad rerum veritatem, qui facile postea advertitur, & cum utroque modo rationis necessitas inesse possit, ideo ratiocinium in utramque partem

vocatur; ejus naturam hoc modo recte definiri nascitur, eo quod illa multitudini opponatur, & quod sola posita affirmataque multitudinem excludat. Secundo ut singularitatem quandam denotans, quam unitatem Metaphysicam multi indigitant, & quam eandem entis sive potius rei, subjective restrictionem ab intellectu fictam jure nomines. Veluti quando vaga, & omnibus rebus communicabilis entitas ad singulare aliquod & particulare subjectum per essentiam contrahitur, tunc illa res essentiam adepta, una dicitur, eo quod entis diffusa significatio in unum quasi coarctatur, & certæ cuipiam rei adhæret; unde etiam res, quæ prius entia omnia respiciebat, per hoc ad unum aliquod peculiare restringi intelligitur: Atque hic est verus unitatis Metaphysicæ conceptus, ex quo videre est quam male à multis Philosophis unitas illa explicetur, qui dicunt unum Metaphysicum illud esse, quod à seipso indivisum est; quasi vero res aliqua in se divisa vel dari, vel concipi posset. Idem omnino est ac si dicerent, unum Metaphysicum illud esse quod repugnantiam ab ente, aut à subjecto tollit; etenim rem aliquam à se divisam vel dari vel rite concipi repugnat. Hæc ab illis perperam introducta definitio litem nondum dijudicatam invexit, frustra disceptantibus inter se quidnam illa indivisio adjiciat enti, quo in loco mira

ra figmenta afferunt. Sic multis erroribus ansam præbet male intellecta res.

Transeamus ad quintum & sextum genus, sive ad simplicitatis & compositionis considerationem. Simplex itaque dicitur quod partes non habet, sive quod est indivisibile; compositum vero quod partibus constat, in quas ultimo per divisionem resolvi potest. Primum perfectionis initium, secundum vero imperfectionis argumentum. Nam quod est indivisibile in eodem semper statu permanet, nec ulli obnoxium est mutationi, quod certe perfectionis est fundamentum ac velut basis. Contra vero quod est compositum atque divisibile, necessario pendet à partium ex quibus componitur copulatione, & mutuo fœdere, quo sublato ipsum compositum destrui necesse est, cum interim dum durat ob divisibilitatis noxam perpetuis alterationibus subjaceat, quæ omnia clara sunt imperfectionis indicia. Sed amplius, si simplicitas perfectionis principium non esset, entitas, vel unitas, aut multitudo illud sibi vendicarent, cum nullæ his superiores rei proprietates reperiantur: entitas autem, quæ nuda simplexque rei extra nihilum positio est, illud sibi non potest arrogare, alioqui res omnes entitate affectæ ideo essent æque perfectæ, si quidem omnes eodem modo extra nihilum ponuntur, habito solummodo ad positio-

E nem,

nem, sive ad emersionem ex nihilo, sicut vox entitatis innuit, respectu, quod absurdum est, cum unæ ab aliis in hac positione pendere debeant, hoc est, unæ aliis perfectiores esse: etenim causa, quæ essentiam tribuit, causato illam accipiente perfectior est: Neque etiam unitas illud sibi assumet propter eandem rationem; nam etiam singularitas, quæ per unitatem denotatur, omnibus entibus eodem modo competit. Enimvero quomodo ab unitate perfectio emanaret, cum unitas ad rei naturam non pertineat, sed ipsi per quandam intellectus fixionem ut vidimus tribuatur? multitudinem vero ab hoc numero excludi manifestum est, cum etiam ipsa non sit qualitas rebus inhærens, neque rem aliquam particularem, quæ tamen perfecta esse potest, respiciat. Restat ergo ut simplicitas, quæ prædictas affectiones immediate sequitur, & à qua perfectum quid dicitur, perfectionis radix nuncupetur.

Ultima duo genera nobis inspicienda supersunt, numerus videlicet, & ordo. Per numerum aliud in rebus proprie loquendo non concipio quam earum distinctionem, quamquam multitudo in numeri conceptu involvatur; sed hoc ideo accidit quod rerum distinctio, à qua numerus originem ducit, non possit nisi inter multa reperiri; & hoc omnino manifestum fiet si cogitemus nos de finita, & distincta

mul-

multitudine conceptum formare, quoties rerum numerum consideramus: quando vero ad ipsarum multitudinem solum attendimus, tunc indeterminatæ, & aggregatæ cujusdam pluralitatis ideam efficimus. Verbi gratia, si forum ingrediar, & considerem multitudinem hominum ibi stantium, nec ad aliud quidpiam attendam, ingentem illam pronuntio, neque determino in mente mea quam ingens sit, illamque ut aliquod aggregatum intueor. Verum si numerum illius multitudinis scire velim, tunc hos homines seorsim accipio, & ex facta super singulos consideratione determinatæ alicujus multitudinis, sive numeri ideam acquiro, quæ mihi illos inter se distinctos repræsentat.

Ordo est rerum quælibet dispositio, quæ multis modis variari potest: hic duos tantum, causalitatis nempe dignitatisque ordines considerabimus, reliquis omissis, qui ad rem præsentem non faciunt. Est itaque causalitatis ordo entium causalitatis ratione affectorum dispositio per prius & posterius: In hac ordinatione entia quadam quasi concatenatione inter se dependent, quorum distinctio differentia proprie dici debet, in aliquo enim communicantia, in aliquo etiam differunt; ut contra diversa nuncupari ea quæ sola pluralitate distinguuntur; cumque causa prior sit, effectus vero posterior, hæc ordinata

series non male dispositio secundum prius, & posterius appellatur. Dignitatis vero ordo est entium apta dispositio secundum perfectionis gradus: In hac collocatione entia, quæ aliis perfectiora sunt, superiorem locum obtinere debent, quæ vero minus perfecta, in inferiori sede constitui. Atque hæc est generum Metaphysicorum, quantum ad institutum meum pertinet, explicatio.

Nunc operæpretium est ut videam quot modis proprietates illæ, sive affectiones rebus tribuantur, hosque modos omnino duos reperio. Quædam enim prædictarum proprietatum rebus ipsis essentialiter inhærent, per quas ipsæ vel constituuntur, vel certam formam, sive qualitatem assumunt; atque hæ veræ proprietates dicuntur, quas easdem qualitates, sive habitudines appellare licet; quia illæ omnes ad rei naturam pertinent: hoc in numero entitas, simplicitas, & compositio solum accenseri debent; entitas enim rem ipsam constituit, simplicitas vero & compositio qualitates sunt, quibus rei natura specificatur: Reliquæ autem omnes, videlicet unitas, multitudo, numerus & ordo rebus non insunt, sed ipsis ab intellectu nostro per denominationem externam affinguntur, ut tanto facilius in earum cognitionem deveniat. Has ultimas rei affectiones proprio artis vocabulo secundas notiones ap-

pellavere

pellavere Philoſophi, & quæ proprie accidentia dici poſſunt; illæ enim omnes ad rei naturam non pertinent, ſed iis tantum utitur intellectus ad res claras percipiendas; juvatur enim per unitatem ad explicandam entis ad aliquod ſubjectum contractionem, quæ in eſſentiæ conceptu involvitur; multitudo vero inſtrumentum eſt, quo plures res unico perceptionis actu comprehendere poſſumus: numero utimur ad rerum diſtinctionem ſignificandam: ordinem vero adhibemus quando res aliquas examinare, aut eorum meminiſſe volumus.

His itaque ſic conſtitutis antequam ad rei primæ inveſtigationem me accingam, reliquum eſt ſolummodo ut eam certis conditionibus veſtiam, quo tantô repertu facilior evadat. Probavi in ſuperioribus rem illam primam rerum omnium, vel multarum cauſam eſſe debere, hoc eſt à nulla ſuperiori pendere. Nam ſi ſuperior aliqua daretur à qua penderet, ex hoc prima non eſſet, quod cum ita ſit, illa erit cauſa ſui ipſius, hoc eſt nulla cauſa indigebit ad exiſtendum, ſi quidem à nulla alia exiſtentiam ſuam accipere poteſt. Quia vero eſſentia eſt rei extra nihilum poſitio, exiſtentia vero rei poſitio extra cauſas, neceſſarium eſt ut res prima eodem temporis momento exiſtat, quo illa extra nihilum poni intelligetur, quandoquidem exiſtendi principium in ſe

 habet,

habet, cum ſit cauſa ſui ipſius, atque hoc pacto illius exiſtentia ab eſſentia diſtingui, ſive dividi non poterit, & ſic erit ſimplex. Quod ſi plures darentur cauſæ primæ, eas ſimplices eſſe, ſive exiſtendi principium in ſe habere eodem modo probaretur, cum eas à ſe invicem non dependere ex eo quod primæ eſſe deberent, intelligeretur: hoc in caſu ad ipſarum multitudinem diligenter eſſet attendendum, quas per numerum poſtea diſtinguere oporteret, eaſdemque certo ordine diſponere. Primum igitur omnium rem aliquam primam ſagaci mentis indagine perveſtigemus; viſuri deinde utrum illa ſufficiat ad res omnes poſſibiles producendas; tum reliqua ejus attributa proſequemur. Sed nunc tanquam de novo incipientibus de rerum omnium eſſentia, & exiſtentia iterum dubitandum eſt.

QUÆSTIO QUARTA, ejuſque ſolutio.

Utrum neceſſario aliquid exiſtat, & utrum illud unicum ſit.

JAm igitur cogitabo, nullam rem actu vel eſſe, vel exiſtere, ſive entitatem nulli rei, nullive ſubjecto adhærere, ſed omnia denſiſſimis immerſa caliginibus in

in nihili possibilis, & impossibilis profundo adhuc occultari. Verum id revolventi mihi magnus veritatis splendor affulget, qui me ex tantis dubitationum tenebris in aliquam certitudinis lucem adducit. Nam quia res à seipsis fieri, hoc est essentiam quam non habent sibi ipsis largiri nequeunt, ut clarissimum est, profecto rerum activa possibilitas (passivam enim possibilitatem, sive recipiendæ essentiæ capacitatem eas habere necesse est) in ipsissmet non residet, sed in earum causis cum ipsarum essentia & existentia latet: si enim in ipsismet resideret, ex hoc suapte virtute ex nihilo emergere possent; neque id solum, sed & quæcumque vasto naturæ sinu comprehenduntur, necessario & ab æterno existerent; eodem enim temporis momento, quo existere possent, revera existere deberent, hoc est, ipsarum possibilitas ab earum existentia non distingueretur, siquidem existendi principium, nimirum activam possibilitatem in se recluderent. Quare cum res omnes necessario, & ab æterno existere nequeant, contradicente in primis causæ & effectus relatione, manifestum est in rerum causis absconditam esse earum possibilitatem. Atque hinc omnino colligitur aliquid vel aliqua necessario dari & præsupponi oportere, in quibus velut in incunabulis prima rerum initia; nimirum possibilitates activæ recon-

condantur, & ex quorum involucris liberatæ essentiæ manifestari tandem, & in apertum prodire valeant. Nam si talia non darentur, neque res possibiles ullæ darentur, cum non foret à quo possibilitatem suam acciperent. Verum hac probatione aliud non evincitur, quam ut concedatur, unum vel multa necessario dari oportere. Quamobrem si ad rerum diversitatem attendamus, valde proclives erimus ad concludendum, multas rerum omnium causas existere, & sic vel Mundum æternum, vel plures Deos esse facile probaretur, nullaque ratio suadet, ut hinc unum aliquod solummodo existere concedatur, quod tamen multi non satis acute philosophantes ex hoc firmissime probari contendunt: neque valet illa ratio quam afferunt, unum videlicet sufficere quod rebus omnibus essentiam impertiatur: nam cum diversæ sint rerum possibilium essentiæ, ut ex sola generum nostrorum inspectione satis apparet, ideo probare oporteret, unam causam rebus natura diversis producendis ideoneam esse, quod ex hoc impossibile est efficere; nihil enim juvabit si dicant illam causam omnes entis proprietates complecti debere, ideoque de ejus sufficientia non esse dubitandum, esset namque petitio principii, cum dubitetur talem causam reperiri, quod tamen hic pro vero sumitur. Melius sane isti si responderent, possibile esse quod

entitas

entitas in tota latitudine ſua accepta, hoc eſt cum omnibus ſuis perfectionibus cuipiam rei adhæreat, ſive quod unica rerum omnium cauſa ſit poſſibilis, atque ſic ut facile eſt illam exiſtere concluderent; ſed hoc adhuc infirmum eſſet, quia quamvis latiſſime ſumptam entitatem alicui rei ſive ſubjecto adhærere poſſe recte concipiam, nihilominus tamen illud mentis meæ figmentum eſſe ſupponere poſſum, ideo ab ipſa repertum, quo res omnes poſſibiles ſub uno conceptu complectatur, plane ut apud Metaphyſicos fieri ſolet, qui primariam ſolemnemque ſtatuunt rerum in ens atque nihil diviſionem, qua ſemel admiſſa neceſſe eſt ut realia quotquot exiſtunt attributa ab entis generaliſſimi ſic ſumpti parte reponant, ſive ut enti generaliſſime ſic ſumpto perfectiones omnes quæ certe enti, non nihilo debentur, aſſignent. Atque hoc modo entis ſummæ perfecti ideam à mentis noſtræ facultate oriri poſſe fatendum eſt: ſed & alia univerſalia ſibi formare conſuevit eadem mentis facultas, quorum ope quod in rerum natura diviſum manet, in ipſa conjunctum, & indiviſum reperitur; neque propter hunc indiviſionis conceptum diviſionem à rebus excludit intellectus: Verbi gratia, quamvis ſub illa Bruti voce proprietates omnes, quæ in brutis diſperſæ reperiuntur, in unum collectas concipiam, non ea propter judico

 brutum

brutum aliquod existere posse quod illas omnes possideat, id est quod sit Equus & Leo simul, aut Piscis Avisque simul, aut hæc simul omnia: pari etiam ratione quamvis per illam entitatis notionem perfectiones omnes, quæ in diversorum entium possibilitate delitescunt, in mente mea colligantur, non ideo judicare debeo quoddam ens extare posse, cui entitas sic accepta tribui, vel in quo perfectiones omnes, quæcumque dari possunt, contineri necesse sit, nisi aliis ad id credendum rationibus adducar, liquidoque constet non per aliquam intellectus fictionem, sed ante omnem mentis operationem aliquod ens revera dari posse ita completum, ut cum insigni perfectionum omnium ornamento emineat. Sed quia nulla rationis necessitas adhuc apparet propter quam illud possibile vel impossibile esse credere debeam, etiamnum in dubio relinquam utrum unica rerum omnium causa sit, neque propterea in alteram partem me convertam multa existere asseverans, quamvis horum unum certum sit, sed ancipiti dubiaque mente in utramque partem ambiguus distrahar, donec ad quam potissimum restringere me debeam superveniente rationis lumine innotescat. Itaque mihi iterum necesse est de rerum omnium essentia, & existentia dubitare, nec prius dubia mea deponam, quam aliquid invenero,

quod

quod verum esse mihi confirmet ipsa rationis necessitas.

Ac primo manifestum est, me nullam unquam de rerum essentia & existentia certitudinem habiturum, quando illas hoc modo dubias esse supponam: quam enim ob causam ea omnia, quæ olim vera esse credidi, non esse certa postea existimavi, nisi quod in eis semper aliquid dubii contineretur? Video horum cohærentiam, sed jam dubito de omnibus: quid inde colligi potest? An aliquid verum ex dubitatione mea nasci putem? Profecto si nihil veri continet dubitatio, omnis tamen falsitatis expers est, & antea necessarium duxi de omnibus dubitare, ut servata semper æquitatis lege ad veritatem accederem: Igitur quo me versam? Quid certum erit? Dicamne saltem aliquid esse? hoc profecto dubitanti mihi non licet affirmare, neque etiam negare, sed ad utrumlibet indifferens esse debeo si æquitatem in judiciis servare volo, quoniam nondum clara sese aperit hujus propositionis veritas. Præterea si hoc affirmare possem, non amplius dubitarem, sed certam hac de re cognitionem haberem, quæ omnem dubitationem meam plane tolleret: si hoc etiam cum ratione negare possem, eodem reciderem, & quamvis nulla in me generaretur cognitio negando aliquid esse, tamen profecto determinarer ad negationem,

neque mihi liberum esset ea de re amplius dubitare. Numquid asseverabo nihil esse? Hoc pariter affirmare vel negare mihi non est integrum propter eandem rationem, nam utrumvis dixerim dubitationem sustulero? Sed quò me præcipitem abripiunt hæ perplexæ dubitandi rationes? Ad non ens ex improviso relapsus, etiam latebras ultra nihil scrutari videor, novisque iterum tenebris circumfundi, & omnia susque deque pervertere; affirmare non audeo; aliquid esse negare vereor, credere etiam non possum nullam rem existere, & tamen de his omnibus dico me dubitare, nodos scilicet nodis innecto, & pertexo ambages ambagibus. Quid tandem ex tanta contrariorum pugna orietur?

Equidem video quod si supponam me dubitare, nunquam potero cum ratione dicere quod aliquid est, vel quod nihil est, affirmando scilicet, negandove, nam utrovis modo dubitatio mea periret, neque unquam illa se determinat, quin protinus deleta sit. Sed quamvis formaliter non affirmem vel negem dum dubito, impossibile tamen esset me dubitare, nisi utrumque aliquo modo facerem, cum enim dubitatio mea sit actus facultatis intellectivæ in quantum libera est ad assentiendum aut dissentiendum, quod idem est ac liberi arbitrii actus; liberum autem arbitrium in eo tantum consistat, quod idem facere vel non facere,

id

id est, hoc in loco affirmare, vel negare possit, clarum est talem actum ab affirmatione & negatione simul produci, atque ita dubitationem medium quendam esse voluntatis inter illa duo extrema positæ statum, quæ dum hæret ambigua in quam partem præcise feratur, in utramque æqua propensione distrahitur, & quamvis, ut jam dixi, affirmationem & negationem formalem dubitatio non includat, tamen ex imminuta utriusque potentia illam exsurgere fatendum est. Jam vero affirmatio, quæ rebus aliquem statum tribuit dubio procul entis positionem infert; res enim per entitatem primario, ac fundamentaliter constituuntur; negatio vero quæ plane contrarium efficit, entis carentiam, sive privationem consequenter importat. Quamobrem colligere possum dubitationem, ad quam efformandam affirmatio negatioque ut superius probavi concurrunt, non nisi ente ac nihilo præsuppositis fieri.

Nova hæc & prorsus inaudita de nihili præsuppositione conclusio omni rationi adversari videtur, ac repugnantiam manifestam involvere: Etenim poni quod nusquam datur, sive esse quod non est, hæc aperte inter se pugnant: fane diffiteri non possum; facile tamen agnosco hanc contrarietatem in rebus non esse, sed tantummodo in puris putis vocibus re-

periri, ac propterea inexistere, videlicet ob aliquem defectum qui est in me, & qui procul dubio causa est, cur non ens, sive nihil, ab ente distinguere non possim, quin saltem per aliquam verborum positionem, atque etiam per ideam quodammodo positivam id faciam.

Sed forte etiam non dubito, & hoc solum dico quia imaginor, vel fingo me dubitare; propterea fictitium erit, & falsum quidquid proferre conor. Imo quamvis minime dubitem, certum nihilominus illud omne manet quod rationis vinculis astringitur. Itaque omissa mei consideratione mentis aciem in summam rei fortiter intendam, & ut cœptis insistam vestigiis, eousque provecta est argumentatio, ut ens atque nihil ex natura dubitationis tanquam è latebris eruerim; quod profecto non parum videri debet; sed illud deprehendo maxima difficultate laborare: nam cum adhuc in nihilo possibili impossibilique verser, si dubitationis illa natura intra rerum possibilium attributa neutiquam appareat, hoc est, si res aliqua dubitans, vel dubitandi facultate prædita in possibilium numero locum habere nequeat, nihildum effectum erit; quod si rem quandam ad cujus essentiam dubitatio pertineat, intra possibilitatis limites verè contentam cœca illa latentium rerum turba non operante intellectu parturiat,

riat, tum vero de entis nihilique seu vera, seu ab intellectu ficta positione quam necessario secum trahit dubitatio, nullus erit ambigendi locus. Vel enim res illa dubitans possibilitatem suam in se recludet, & sic necessario; atque ab æterno existet; vel adhuc in nihilo possibili hærebit. Utrovis autem modo entis ac nihili, ut ita dicam, præsentiam per essentiam suam amborum caractere quasi signatam, id est, per certam notam commonstrabit, nulla quippe falsitate rerum essentias adulterante. Inquiramus igitur utrum res aliqua dubitans in possibilium multitudine delitescat; illam vero maxime possibilem vel primo mentis intuitu deprehendo, dum possibilitatis naturam contemplor; nulla enim in rei dubitantis positione contradictio vel repugnantia reperitur, quæ illam à nihilo possibili excludat, quamvis ex superius explicata dubitationis natura contrarium sequi videatur. Et hoc omnino manifestum fiet si recordemur dubitationem non esse meram affirmationem, neque etiam esse meram negationem, sed aliquid ex affirmationis, & negationis quadam velut permixtione confusum, seu melius loquendo aliquid imperfectum. Unde sicut nihil impedit quin ex contrariis albi nigrique coloribus inter se mixtis tertius exsurgat color ab utriusque perfectione deficiens, ita nihil impedire videtur

quin-

quin ex affirmationis atque negationis diminutis potentiis aliquid oriatur à pura affirmatione vel negatione declinans: ſtatuamus igitur poſſibilem eſſe rei dubitantis naturam, quæ quatenus ab affirmatione dependet, de ente participare, quatenus vero negationem involvit, ad nihilum pertinere videtur. Atque hinc apparet rem dubitantem ab æterno exiſtere non poſſe, ſive poſſibilitatem ſuam actualem in ſe minime recludere: Illa enim propter negationem ſemper aliquid nihilitatis retinens nunquam penitus omnem tenebroſæ quietis caliginem exſolvere poteſt. Quod ſi illa ab æterno fuiſſet, nulla ne quidem minima nihilitatis umbra obſideretur; nam ab æterno entitatem ſuam poſſediſſet, id eſt, ab æterno per eſſentiam ſuam longiſſima à nihilo abfuiſſet; ens enim & nihil quam maxime inter ſe diſtant.

Certum itaque eſt poſſibilem eſſe rei dubitantis naturam, cujus poſſibilitas neceſſariam infert entis præſuppoſitionem. Illud vero ſic præſuppoſitum ens in tota ſignificationis ſuæ latitudine accipi, ſive ens ſumme perfectum intelligi debet, quoniam de omnibus dubitari poteſt, quod profecto fieri nequiret niſi entis ad dubitandum neceſſario præſuppoſiti natura, ad quam pertinere ambigitur id omne quod in dubitationem cadit, omnes quotquot exiſtunt perfectiones

fectiones complecteretur. Atque ex his ſequi videtur revera, & ante omnem mentis operationem ens ſumme perfectum dari oportere. Verum ſi cuncta rite perpendantur, longe aliter rem ſe habere comperietur. Nam quamvis rei dubitantis poſſibilitas, quam veram & non falſo à nobis introductam eſſe demonſtravimus, neceſſariam entis poſitionem teſtetur, illa tamen neceſſitas à parte mentis, ad cujus naturam dubitatio pertinet, ſolum conſiſtit: res enim dubitans, ſive potius dubitandi facultate prædita primo eſt cogitans, intelligens, volens, nolens, ſive etiam affirmans & negans, quæ poſtquam aliquid cogitatione apprehendit, cujus obſcura perceptio ejus ſciendi deſiderium remoratur, hæret incerta, fluctuanſque dubitationem adhibet, qua bene preparatur animus ad veritatem indagandam; deinde neceſſitate edocta, dum ad omnes ideas, quas apud ſe reperit, ſe convertit, modum aliquem quo dubiis ſe exolvat anxie quærendo, entitatem paulatim à particularibus ſubjectis abſtrahit, ſicque entis ſumme perfecti ideam, velut neceſſariam bene dubitandi, & conſequenter bene cognoſcendi regulam ſibi format. Quare licet dubitatio entis ſumme perfecti poſitionem includat, explicata tamen mentis natura non ſinit, ut ens ſumme perfectum extra intellectum dari poſſe affirmem, antequam certæ probationes,

quæ id evincant, permotum animum in assensum ire coëgerint. Interim non inanis erit facta circa dubitationis naturam inquisitio, imo multum lucri afferet, si qua via entis summe perfecti realis essentia atque existentia sit demonstrabilis. Quid enim præstantius, quid cum utilitate conjunctius esse potest in nobis, quam in omni dubitatione nostra præsentem & auxiliatricem habere supremi rerum omnium Creatoris ideam, & impressam mentibus nostris semper obversari excellentissimæ causæ imaginem? Quamprimum igitur ad ejus investigationem studium omne curamque convertamus.

Placet tamen hic paulisper insistere, & mundo, sicut huc usque supposuimus, ideali, sive potentiali relicto, ad mundum factum & jam à nobis habitatum transire. O quam decora rerum facies undique conspicitur! Numquid pulcher ille universi ornatus, pulcherrimus partium universum componentium ordo, longe lateque Deum testantur? Quis micantia sidera cœlo appendisset? Quis terram librasset in medio ætheris? Quis statis temporibus fruges nasci, Lunam singulis mensibus renovari, arbores foliis, floribus, & fructibus modo decorari, modo iisdem destitui juberet, & cætera naturæ miracula patraret, nisi quidam rector, & moderator adesset, cujus mentes & consilio hæc omnia administrarentur

tur

tu? An res mirabili ordine dispositas casu talem formam assumpsisse? An orbes certâ lege sese moventes, & nunquam à cursu suo aberrantes temere volutari credam? An potius tot claris indiciis victus confitear tam affabre factam mundi machinam, Numinis alicujus, & sapientis & intelligentis opus esse debere? Egregia sane argumentatio, & si vim haberet omnibus anteponenda. Sed quamvis industriæ solertiæque plena sint sagacis naturæ opera, eorumque contemplatio animos nostros in admirationem rapiat, & vel invitos nolentesque extimulet ad naturæ authorem dum illum agnoscimus maximis laudibus extollendum; illa tamen admirabilis mundanæ molis structura, aptaque partium dispositio, ac constans variarum rerum mutuis inter se fœderibus sociatarum tenor non satis ex se solis validum argumentum præbebit ad potentissimi Numinis, quod omnia ex nihilo crearit, creataque etiamnum conservet, notitiam mentibus nostris ingenerandam. Nam si mundum æternum esse supponam (quod mihi facere liberum est cum adhuc de DEI existentia incertus sim) motumque materiæ coævum assignem, quid mirum postea si cœli perpetua sibique semper simili circumgyratione rotentur? si terra gravitate sua infimum sub aquis, aer levitate supremum super aquas locum constanter occupet? si denique omnia entia

 per-

perpetuo agant secundum proprias vires, & tributas à natura facultates. Statim dicet aliquis id aliter contingere non posse. Imo subjunget si casu quodam aut alicujus Numinis (posito illud adesse) potentia turbata forent omnia, ut inde confusissimum Chaos, quale ipsum fingunt Poëtæ, exortum fuisset, miraculum foret si res hoc modo turbatæ ad eum quem nunc suspicimus ordinem succedente tempore non redirent, tunc enim potentissimi alicujus Numinis virtute opus esset, quæ rerum impetum cohiberet, vires suas exserere cupientium, & indefesso nisu propria loca, unde avulsæ essent, appetentium. Sed jam cum singula sibi debitas teneant sedes, & ad naturæ impulsum variis modis agitentur, nulla ne quidem minima divinitatis scintilla animos nostros perculleret, aut Dei sapientiam ex miro totius universi partium ordine agnosceremus, si materiam ab æterno extitisse, & sempiternos motus habuisse arbitraremur, ut neque ullas brutorum animantium actiones quæ naturam ducem sequuntur credidit unquam maxima pars hominum à ratione & intelligentia, quibus ipsæ regantur, fuisse profectas. Verum postquam aliunde acquisita Dei cognitione imbuti accedimus ad naturæ operum contemplationem, tum vero Mundi ex nihilo creati aspectu mentes nostras stupor insidet, & ineffabilem summi rerum omnium Crea-

Creatoris potentiam atque ſapientiam mirari non deſinimus. Sed tempus eſt ut ad inſtitutum revertamur.

Æternas quaſdam entium poſſibilium cauſas, ſive una ſufficiat, ſive plures requirantur, neceſſario dari conſtat ex ante probatis. Jam ad cognitionem meam ulterius promovendam nihil magis expeditum videtur, quam ſi ex tota rerum in nihilo poſſibili adhuc hærentium, aut quas in eo hærere ſuppono, multitudine, unam aliquam generalem, ſive univerſalem, multas ſpecies ſub ſe comprehendentem eligam: ejus enim conſideratio haud dubie multum me juvabit ad cauſarum, ex quibus poſſibilia ortum habere neceſſe eſt, numerum determinandum. Sumam igitur pro contemplationis meæ ſubjecto materiam, ſive corpus, unde innumera pæne diverſis formis prædita gigni, & in eandem reſolvi poſſe ratio dictat. Ac primo antequam in materiæ, corporiſve naturam ac proprietates diligentius inquiram, examinare debeo utrum res illa, quam materiæ corporiſve nomine deſigno, qualiſcumque ſit, poſſibilitatem ſuam in ſe recludat, an illam ab aliqua cauſa mutuetur. In quo efficiundo non magna difficultas erit, ſi redeat in mentem præterita argumentatio, qua æterna quædam in rebus principia relinqui oportere concluſum eſt. Ideo enim ta-

lia superesse monstratum est; quod res possibiles, quæ suapte virtute ex nihilo emergere nequeunt, iis necessario indigerent, à quibus activam possibilitatem reciperent. Quare cum æterna priora posteriorum hinc dependentium causæ sint; etiam universalia esse necesse est. Quoniam vero materia, quam considerandam mihi proposui, causa est universalis tot effectuum inde producibilium, ut integer Mundus ex ipsa vel prodierit, vel prodire valeat; & admodum paucas res apprehendam, quæ ex eadem constare non debeant, si causam assignem, quæ huic materiali causæ possibilitatem activam suppeditet, tertia causa adesse debebit, ut idem secundæ largiatur, quod secunda primæ tribuerit: sed & quartam, quintamque admitti, & sic infinitam causarum seriem annecti necessarium erit, ut singulæ à proxime superioribus suas activas possibilitates nascantur; par enim est in omnibus ratio. Atque cum id fieri nequeat, tum quia in infinito causarum progressu ultima nusquam apparet, cujus tamen actualis positio omnino necessaria est, ut sequentes reliquæ possibiles dicantur; tum etiam quia natura, quæ simplicissimis modis utitur in operibus suis edendis, non efficit per plura, quod potest fieri per pauciora, eò tandem rationis vi adactum me sentio, ut supponere tantisper opus habeam, materiam ab æterno existere, donec

ejus

ejus naturæ consideratio hanc hypothesin vel destruat, vel confirmet.

Itaque ut hanc ultimam partem tandem aggrediar, materiæ corporisve clara perceptio nihil aliud mihi repræsentat quam extensum quid in longum, latum, & profundum; reliqua enim quæ materiæ tribuuntur, salva ejus essentia, ab ipsa tolli possunt; quod inductione patet; nam dura corpora emolliri, mollia indurari, sonora sonum, colorata colorem, & sic de reliquis perdere valent, manente integra quam ante possidebant materia, seu extensione, ut fuse satis à Cartesio, & nonnullis aliis explicatum est. Unde materiæ essentia in sola partium extensione quaquaversum diffusa consistit. Ad proprietates quod attinet, in genere dici potest alias à rerum essentia promanare, & consequenter ipsis perpetuo inhærere, ita ut illis nunquam spoliari queant; alias vero extrinsecus ipsis advenire, quibus propterea aliquando carere possunt: & hoc universaliter omni rei, exceptis æterne existentibus, competit, nimirum ut essentialibus & accidentariis proprietatibus donetur. Verbi gratia, trianguli essentialis proprietas est, ut habeat summam angulorum duobus rectis æqualem, accidentaria vero ut sit æquilaterum: nullum enim triangulum invenias, in quo prima conditio desit, videlicet quod non habeat tres angulos duobus rectis æquales; at infinita

trian-

triangula reperiuntur, quæ æquilatera non ſunt. Atque hinc optima methodus colligitur ad dijudicandum, utrum cognita de re qualibet proprietas ei eſſentialis ſit, an vero accidentaria: nam ſi ab ea ſit ſeparabilis, extrinſecam & adventitiam; ſi vero inſeparabilis intrinſecam, & eſſentiæ quoddam profluvium eſſe concludam: adeo ut inſeparabiles proprietates materia à ſe habeat; ſeparabiles vero, ſi tales in ipſa reperiantur, aliunde acceptas.

Jam hac regula adjutus notiſſimas materiæ proprietates vigilibus mentis oculis perluſtrabo, & utrum quædam ab ea ſeparabiles ſint diligenter notabo: nam ſi tales deprehendam, certus ero eas extrinſecus materiæ adveniſſe, ſive materiam ſuarum proprietatum complexum à ſe ipſa non habere. Inter omnes autem proprietates, quæ materiam afficiunt, longe eminet illa, quæ motus localis dicitur, & quem ſolum in rerum natura reperiri puto, quamquam multi Philoſophi ejus notionem obſcuraverint pluribus aliis commentitiis motibus introductis: verum illi ſuis inventis gaudeant, nobis de locali tantum ſermo ſit, qui recte mea quidem ſententia definiri poteſt, dicendo eum eſſe in corporibus mutationem loci, vel eorum tranſlationem ex uno loco in alium: nam quid ſit locus lumine naturali probe noſcitur: vel ut Carteſius, tranſlationem unius corporis è vicinia corporum, quæ ipſum imme-

immediate tangunt in viciniam aliorum, omnes enim hæ definitiones unum ac idem ſonant. Præter hanc inſignem materiæ proprietatem aliam adhuc animadvertó etiam materiæ convenientem, quæ priori eſt oppoſita, & quies vocatur. Perfectam ejus notionem habebimus ſi concipiamus eam eſſe in corporibus ceſſationem motus, vel affirmate loquendo, corporis manſionem in eodem loco. Hæc clariſſima ſunt, nec ullum de ſe dubium relinquunt, nam æque bene concipio quietem ad corporis naturam pertinere quam motum, & utramque qualitatem corporis affectionem eſſe nullo diſcrimine ratio noſtra luce veritatis irradiata declarat. Ulterius igitur pergendo ſi materiam tantummodo mobilem, ſive ſolo motu affectam conſiderem, nulla equidem ratio mihi apparet, propter quam motus ab extenſione, ſive à materiæ eſſentia proficiſci queat; verum ſtatim concludere non debeo, motum igitur eſſentialem materiæ proprietatem non eſſe, & conſequenter extrinſecus materiæ adveniſſe, quoniam propter tenuitatem meam, & valde limitatum intellectum fateri cogor me omniſcium non eſſe, ideoque multa in rebus profunde occultata latere poſſe, quæ mentis meæ aciem fugiendo, incomprehenſibilia mihi ſunt: At ſi motum ſimul & quietem in materia concipiam, vel ſi materiam contempler ut motus & quietis capacem, quoniam motus eſt tranſlatio corporis ex uno loco in alium, quies vero manſio

H corporis

corporis in eodem loco, aut cessatio motus, perspicue cerno, idem corpus quod natura sua motus & quietis capax est, non posse simul in eodem loco manere, & in alium transferri, sive non posse simul moveri, & cessare à motu, hæc enim inter se pugnant. Proinde concludo corpus mobile quidem esse, sed aliquando motu privari, videlicet dum quiescit, & per consequens motum corporis proprietatem esse ab eo separabilem, eique secundum regulam nostram adventitiam atque extrinsecam, non vero essentialem. Quapropter materia sive corpus complexum suarum proprietatum à se non habet, sed motum ab ejus essentia minime promanantem ab externa aliqua causa impressum ei fuisse necesse est. Hinc ruit hypothesis nostra de materiæ æternitate, nam si æterna foret, complexum suarum proprietatum à se haberet, & motum independenter à causa hanc ei proprietatem tribuente possideret. Sic quam æternam durationem materiæ male assignabam, in causam motricem transferre jubet ratio. Hujus causæ naturam dum scrutor, invenio primo eam materialem non esse, nam alias eam à superiori aliqua causa motum accepisse oporteret, eodem modo de illa superiori, & de alia quæ superiorem anteiret nullo fine sermo esset, videlicet illas causas aut immateriales esse, aut ab aliqua antecedente motum accepisse: quare cum propter jam allatas rationes ejusmodi progressus in infinitum admitti non debeat,

nec

nec per plura fieri quod potest per pauciora, sequitur in prima causa quæ materiæ motum indidisse oportuit, sistendum esse, fatendumque eam immaterialem esse, atque etiam æternam, siquidem nullam habet supra se à qua pendere possit. Manifestum est etiam illam motricem causam motum non habere formaliter, sed tantum eminenter, sive per potentiam, quoniam ratio me admonet motum localem solis corporibus, non vero aliis entibus quæ corpore carent, convenire posse. Æterna igitur causa quæ materiæ motum impressit, aliquid quod formaliter sive revera non habet, motum videlicet, alteri dedit; ergo omnipotens est, cum dando id quod revera non habet, omnipotentiæ actum exercuerit; ergo etiam sola, & unica æterna: nam si plures essent æternæ causæ, nulla foret omnipotens, una qualibet potentiam aliarum non exercente. Tandem cum creatio ad omnipotentiam, ut præcipua ejus actio, referatur, fatendum est causam illam ab æterno existentem & omnipotentem reliquas res olim creasse, & jam creatas conservare, Mundum administrare, ac cætera efficere quæ possunt à sola omnipotentia proficisci.

Nunc itaque quo volebam pervenit argumentatio mea, nunc illud ens summe perfectum intueor, non ut vanum mentis meæ figmentum, sed ut essentiæ meæ authorem, mihi perpetuo colendum adorandumque; impressa jam ubique video divinitatis suæ

